



TRACTVS DANVBI PRIMA TABVLA

NOVA... SIMAQVE DESCRIPTIO DANVBI... (qui alias Ister... ad Nigram sylvam oriens, longo tractu versus orientem... Ponticu vel Excini tandem devolvitur: una simul adiecta... Imperij Turcici & Regnoru, ditioni urbiumq, quas idem iuratus hostis, sena ty...



Ioannes à Deutecum, Lucas à Deutecum Fecerunt.

TRACTVS DANVBI TABVLA I.

quæ cuncta regunt, fata abstulerunt illum, magno nostro dolore. Post Abusiam Ghelheymum sequitur, quo loco Alemanus amnis lentus, pisculentus, tamen Danubium intrat. Recentiores historici Almononum, Richardus Bartholinus quarto Austriados Altimulam vocat. Proximè est Abudiacum, Abach vulgò dicitur, & Ratispona vetusta vrbs Rhetia secunda, cui varia nomina tribuerunt scriptores. Tradunt enim Augustam Tyberij & Tyberinam appellatam à Tyberio conditore Reginoburgium à Reginopyrga vxore Theodonis, primi Boiorum reguli seu potius Rego flumine, Rhetabonnam, & Rhetopolim à Rhetis. Hiaspalim ob ruditatem populorum agrestium. Imbripolim, ab imbre Reginopolim & Germanisheym, à regni Germanici conuentu, qui frequenter ibi celebrabatur. Tetrapolim & quadratam, à forma, Ratisponam quod ratibus apta sit: pons ibi est super Danubium lapideus, vndecim fornibus, passibus quadringentis & septuaginta latitudinis, ab Adriano ut ferunt, extructus. Habet etiam Insulam Danubio circumflam, veluti eiusmodi plures habet Ister, Verdas & Angias vocant Germani. Excipit Nabum & Regum flumina, quorum Nabus supra ciuitatem, Regus infra allabitur. Ibi Danubij ripa vitifera est, vna verò ignobiliora. Huius dextram ripam Thunicates accoluerunt vulgò Thungaurv, quasi dicas Danubij ager, nominatur: quorum fuit Augusta Acilia. Suburbana sunt Strubiorum Danubij imminetia, retinent vetus nomen Axalburg: & ipsa vrbs Strubingum. Lauarus hic se Istro sociat, ad ripam dextram iacet Tecendorphium oppidum, è cuius regione Isara rapidus Vindelicorum amnis Danubio copulatur, ad hunc amnem subiacent Augusta Vindelicorum, cuius Ptolomæus lib. 2. cap. 12. meminit, sita fuit. Inde subiacent Austrauia & Vilissouia, Biorum municipia, inter quæ Quointanorum colonia, nunc Kynntzen, posita erat. Infra Vilissouia muros, Vilus amnis intrat Danubium. Vnde etiam municipio nomen. Inde Volfaha & Gyssea fluuenta aduoluuntur. Batavia sequitur Episcopalis ciuitas vulgò Passau: à traicctu appellata, quam Ptolomæus lib. 2. Boiodurum vocat, seruat nomen vrbs pars vltra Oenum flu. qui ex Alpibus lapsus, Noricos à Rhetis separat, & prope vrbs hanc in Danubium ruit. Ad eandem etiam Illus, Illiceum alij dicunt, à Septentrione fluens, Danubio miscetur, is aquam suam oleaceam atrumque colorem Danubij ripam alteram nactus longè & quasi pertinaciter custodit. Norici hic & initium est, & Peurbachium oppidum Danubianum in Norico est situm. Hinc est Rhennarigel arx, iuxta quam Rhenanus amnis in Istrum exit: post gemini Muhelij, superior qui & maior atque inferior, à quibus interiacens regiuncula nomen habet, mox à Scha ad sui nominis castellum accurrit. Schauburgum arx montana, & Euerdinga vrbs postea Lynzum, Lentias dixere Romani. Vbi Fridericus Imperator eius nominis tertius, Diui Maximiliani genitor, frequenter versatus est, extremumque clausit diem. Infra hæc ad decè milliapaßuū Traunus, Norici fluuius, ad quæ sita est VVels oppidum, Diui Maximiliani morte nobilitatum, se in Danubium abscondit. Proximè est Laureacum peruertustum oppidum Ptolomæo, vt conicitur Claudiuim. Hodie Anasum, vulgò Ensum à subter allabente amne cognominatum, qui infra vrbs mænia iuxta Matusium in Istrum descendit. Laureaci fuit sedes Archiepiscopi, quæ postmodum Saltz-burgum trāsata est, vbi diuus Florianus præsidis Aquilini iussu, temporibus Diocletiani & Maximiani decollatus est, & in Anasum fluuium præceps coniectus. Posteriores eadem sacram diuo Floriano consecraverunt, quæ hodie D. Floriani nomen refert.

Ab hoc amne Norici portio nouum accepit vocabulum, quicquid enim supra Anasum situm est, Germanis regio supra Anasum, & quod infra amnem iacet, regio infra Anasum cognominatur das land ob der Ens, vnd das lād onder der Ens, & regio Anasina Norico iungitur. Pannonia superior, quæ Austria, Osterreich, in cuius territorio positum est castellū Graynū, comitū ab Artenbergo, puto à ploratu illi euenisse nomenclaturam (nisi quis à Carris populis, quos vulgus Cranos appellat, malit). Nam istic Danubius Scyllā & Charybdim offert, periculosa, horrenda, & quæ citra lamenta vix peruehi poteris loca attamen nauigantibus transeunda; vulgus nauatarum & accolarum voce Germanica, strudel ab aquarum stridore atque impetu vocat. Richardus Bartholinus in Oedoporico his verbis descripsit. Duo pericula offeruntur, in altero per cōfragosa saxorū ingentiissimo fremitu vnda rapitur, infra enim tenia cautesque tam crebri sunt, vt nisi expertissimus loci nauta sit (capitur enim vnus vel alter ex oppido Grayno, quod paulo superius in ripa offeditur) ignari nauigationis aliquando periclitentur. Scyllam hanc latrantem cum superaueris, in charybdim vt incidas necesse est. Vbi non leuius periculum excludendum obijcitur: rotatur enim aqua imò rotum flumē maximumque in profundum mergi videtur, similisque turbini tempestuoso vortices volui: panduntur enim à principio turbinatimque in imo desinūt, nec vno in loco scuiūt syrtes, sed vnus ex alio vortex subinde nascitur, crescuntque immensa rapidissima voracitatis redā siquidem repente absorbentur, nec postea apparere vsquam manifestum est. Hactenus ille. In hac ora aliquando Auari & Huni habitauerunt, & in Danubium labuntur. Erlaphus nunc Erla iuxta Pechlarium. Ipsius iuxta sui nominis vrbs. Melicus prope cognomine cænobium. Sunt paulo inferius ad ripam Diensteynum, Augsteynum, Chotuygus in monte cænobium. Mauterna Steynium. Cremesum vrbs & fluentum. Hertzoburgum: Postea Trasimus. Tullia à quo vicinus ager vocabulum habet, & Chambus flumina accedunt. Adiacent præterea Holburgū, Sochrauia, Ceiselimurus Neyd hardo franco equite nobilis. Geminum Neoburgum, quorum alterum ad radices Cætij mōtis sitū est. Ipse verò Cæcius mōs ad dextrā fluminis ripam prospicit. Pannonia initium & Norici terminus. Vnetis amœnissimis constitus, mons Caluus dictus, quod in vertice vbi arcem habet, excisa fuerint arbores, & sic recaluaster. Inde subiacet Viēna Metropolis & clarissima superioris Pannonia ciuitas, ab riuo appellata, qui suburbium perfluit. Est enim Germanis familiare à fontibus aut fluuijs cognominare adiacentia loca. Sic Rheinfeldiam à Rheno dixere, Dueneschingen à Danubio, Terlyppam & Lyppenheymum à Luppia, Sala-feldiam à Sala, Saltzburgam à Saltza Salba: Sic Brentium VVertaham, Necharium, Seltzam Nagoldum-fuldam, Entium, Misniam, ab alluentibus amnibus nuncuparunt, ita Vienna vrbs & vicinum nemus à riuo habent appellationem, hanc putant à Ptolomæo lib. 2. cap. 14. Flexum vocatam, aut Iuliobonam. Infra Viennam ad Danubij alueum Petronella maximi & vetusti oppidi vestigium iacet, Carnuntum dixere veteres. Meminit Plinius lib. 4. cap. 12. lib. 37. capite 3. historia mundi & Velleius Paterculus volumine posteriore, Hamburgum, vbi Zingiber in mōte nascitur. Postea Tebina vrbs, ad quam Marauaha quæ alij Marchiam & Moram vocant Marcomannorum fluuius, à quo ipsa regio nomen habet, Danubium intrat.

# TRACTVS DANVBII


## TABVLA 2.

**S**equitur Bresburgum, Romani Possouium vocant, & Aldenburgum. Vbi Leyta flumen Pannoniam superiorem ab inferiori diuidens cum Istro miscetur. Hungaricè ibi loqui incipiunt, mixtus tamen est sermo, & sunt ij populi bilingues. Germanicè & Hungaricè loquuntur. Paulò inferius suscipit Danubius Rabinzam ac Rabonem, quem Narabonem Ptolomæus appellat, ad cuius ostiū Bregætium Ptolomæo primæ Pannoniæ vrbs sita est, nūc Rab à confluentibus amnibus vocatur. Ammianus lib. 17. iuxta hanc sedes fixisse Quadorum partem, sub Constantio Constantini filio refert. E regione horum fluminum Insula iacet Schuta. Deinde Ister Vvagam amnem haurit, prope Chomaritium, mox Granam, ad sui nominis ciuitatem, quæ habet Archiëpiscopum: Latinis Strigonium appellatur. Hinc ad Vaciam descendit, & Budem allabitur, Regis Hungariæ sedè, & inferioris Pannoniæ vrbs, Ptolomæo lib. 2. Curtam, vulgò verò *Öfen* dictam. Hæc magnam cladem à Turca accepit ætate nostra, qui totam Hungariam miserè vastauit. Ipsa Germanicæ linguæ terminus est, nam infra hanc Sclauicè & Hungaricè solùm loquuntur. Mox se Danubio immergit Satvvicus fluuius, & iuxta Teutoburgium vrbs (germanica vox est) quæ nunc *Siedes*, Drauus, memorabilis amnis: Ptolomæus Darum vocat, alij Tragam, vulgò die *Trab*, onustus Mura, Styrio, ad Carodunum vrbs, vt idem tradit Ptolomæus, in Istrum ruit. In hac regione Danubius crebras efficit Insulas, Germani *Werdas* dicunt. Inde Bachyam Ratzenum, Villachum, Pëstum, Petri Baradynum, Salauchemenum, ac Titelium oppida. Pannoniæ secundæ allabitur, donec Tybiscum è Carpatho monte profluentè, maximum ac piscosissimum amnem confluum accipit, qui Tyssa, die *Teyß* vulgò appellatur, & Tazyges Sarmatas à Dacis separat. Postea Danubius alluit Taururū, ita Ptolomæus vocat amplam superioris Mœsiæ ciuitatem. Plinius tamen lib. 3. historiæ mundi cap. 25. in Pannoniæ fine statuit, Albam græcam, vulgò *Brichovcißensburg*, Italis Belogradum nominatam, quæ Turcarum Imperatoris sedes est. Vbi Sauo vastissimo flumine oneratur. Cæterò reliquas vrbes extra Germaniam ad Danubium positas enumerare, non enim exteras regiones hoc loco, sed solùm Germaniam describere institui. Tamen populos quos Ister attingit, & memorabilia flumina, minimè præteribo. Claudius Ptolomæus lib. 2. Tabula quinta & nona indicat Danubium germania egressum, vtraque ripa alluere, Pannones, Tazyges, Metanastas, Hungaros, & septem Castrenses, olim Gepidas dictos, Dacos, in quorum ora rursus sunt catarrhactè, supra quas amnis ipse, referente Strabone in Septimo, Danubius, infra verò Ister nuncupatur. Cui Plinius in 4. cap. 12. astipulatur. Plinij verba sunt: Ortus hic in Germaniæ iugis, montis Arnobæ, ex aduerso Raurici Galliæ oppidi, multis


ultra Alpes millibus, ac per innumeras lapsus gentes Danubius nomine, immenso aquarum auctu, & vnde primum Illyricum alluit, Ister appellatur, sexaginta amnibus receptis, medio fermè numero eorum nauigabili, in Pontum sex vastis fluminibus euoluitur. Id fieri ad Sauo confluentem tradunt authores. Mox Mysiam superiorem, hoc est, Bosnâ, Seruiamque adit, & in ea Tricornesios, Albocensios, Saldensios, Ciogisos, Dimésios, Triballos, qui nunc Rascioni, Phiephisos, Piarensios, Mysiam inferiorè, hoc est, Bulgariâ, Crybizos, Tensios, Trogloditas, Sensios, Obulensios, Peucinos, & Peucen insulam, à Bastarnis inhabitatam. Inde septem ostijs, in Ponticum siue Scythicum, ac Euxinum, ab inhospitali feritate appellatum irruere Oceanum. Arrianus Nicomediensis lib. gestorum Alexandri magni primo, numerat quoque quosdam Danubij accolæ, in ripa germanica, his verbis. Secundum hanc pugnam triduo Alexander ad Danubium fluum profectus est, omnium quidem longè maximum eorum qui in Europa sunt, lógissimo tractu per terras excurrit, gentes bellicosas præterlabitur, & eas magna ex parte Germanas, & quibus ipsius amnis fontes oriuntur. Earum gentium postremi sunt Quades ac Marcomanni. Deinde Iazyges Sarmatarum gens, post hos Getæ. Deinde Sarmatarum magna pars, postremò Scythæ, ijque ad exitum fluminis pertinent. Vnde per quinque ostia in Euxinum pontum effluit. Hæc ille. Post enumeratos autem fluuios Istrum ingrediuntur Drinous, Moschus, Rhabosus, Marisus, Ciabrus, Alutas, Iaboniza, Bistrita, Baralat, Seretius & Hierassus, ad quem fuit Getarum sedes, ibi nunc est Moldauia. Herodotus præter memoratos alios decem & septem amnes in Istrum egredientes, commemorat libro quarto, qui Melpemone inscribitur: ij sunt, porata fluuius maximus, quem græci pyretum dicunt, Tiarantos, Araros, Naparis & Ordissus, per Scythiam decurrentes: Ex Agathyrsis maris, ex Hœmi iugis atlas, Auras & Tibesis, ex Thracia Athres, Noes & Athernes. Ex Pæonia & monte Rhodope medium interscindēs Hœmum, Cius. Ab Ilyrijs Angrus campum Triballicum interfluens, qui in Brongum, & Brongus in Istrum cadit. Ex Ombricorū regione Carpis & Alpis. Hactenus Herodotus Halicarnassæus. Ammianus lib. 17. de Sarmatia. Has, inquit, terras parachiscus irruens, obliquitatis meatibus Istro miscetur. pathisci mentio est etiam apud Plinium. Hæc nimirum sunt flumina Danubium incidentia, quorum authores meminerunt: Nam plinius cap. 12. lib. 4. Natural. histor. tradit. Danubium sexaginta amnes recipere, & medio fermè numero eorū nauigabili. Idem hoc post Plinium Solinus cap. 22. Ammianus marcellinus libro 22. & Martianus Capella retulerunt. De ostijs variant veteres, quidam quinque, sex alij ostijs in pontum irruere prodiderunt. Constat tamen septem ostijs ingenti vndarū mole, ingredi Oceanum. Quorum primum est peuce ostium,

Y quod

TRACTVS DANVBI SECVNDATA TABVLA



PONTVS EVXINI PARS.



ASIAE PARS, quam hodie Natalia uocant.

Gerardus de Iode excudebat. Ioannes à Deuteu. Lucas à Deuteu. fecerunt.